

SERMON DE PAMIERS – 8 MARS 1320

Tenu par Jacques Fournier, évêque de Pamiers et Jean de Beaune,
inquisiteur de Carcassonne (Fragment)

(Ms A.D. Ariège J 127)

Ce fragment a été retrouvé dans deux folios utilisés dans la reliure d'un livre de raison bien postérieur. Il s'agit des sentences rendues par l'évêque de Pamiers, Jacques Fournier, et l'inquisiteur de Carcassonne Jean de Beaune, à une date qui se déduit des "processus" de divers personnages, contenus dans le registre de Jacques Fournier : 8 mars 1320, qui nous fait également connaître l'endroit : le cimetière St-Jean de Pamiers.

Le notaire est Mennet de Robécourt, notaire de l'Inquisition de Toulouse.

Les abjurations nous font connaître le nom de tous les condamnés. Leur audition se trouve dans le registre conservé de Jacques Fournier : Navarre Bru, Guillemette Bathéga, Raimonde Fauré de St-Baudille, Mengarde de Pomiès, Arnaud de Monesple, Fabrisse Riba de Montailou, Bérenger Escoulan de Foix, Arnaud de Savinhan de Tarascon, Guillaume Autatz d'Ornolac, Béatrice de Lagleize (de Planissoles), Bernard Franque de Goulier, Grazide Lizier de Montailou, Raimonde, veuve de Prades d'Arsen, Brune, fille de Prades Tavernier, Raimond Vayssière d'Ax, Aladaïs Azéma de Montailou, Arnaud Cogul de Lordat, Pierre Magre de Rabat.

Seules sont conservées les fautes de Mengarde de Pomiès, le début de celle de Raimonde Fauré de St-Baudille, et la fin de celle de Barthélemy Amilhac.

Suivent les sentences "arbitraires" (sans port des croix jaunes) de Navarre Bru, Guillemette Bathéga, Raimonde Fauré, Mengarde de Pomiès et Arnaud de Monesple, coupables d'avoir écouté l'"armier" de Pamiers.

.....

F° A r° ... impedire, sed potius totis viribus promovere. Idcirco Nos Iacobus miseratione divina Appamiensis Episcopus et Frater Iohannes de Belna ordinis Predicatorum inquisitor heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputatus, monemus canonicè semel, secundo et tercio et peremptorie ne quis cuiuscumque potestatis, conditionis aut status existat, Inquisitionis negotium contra hereticam pravitatem, iudicium, sententias vel processus contra quemcumque habendum vel habendos, directe vel indirecte, publice vel occulte, per se vel per alium aut alias quoquo modo impedire presumat. Omnes autem illos qui negotium Inquisitionis impedirent vel de cetero scienter impediant, vel per se veritatem celando vel legitime confessata revocando seu alios ad celandum vel occultandum eandem inducendo, et quicumque recepit seu receperit pecuniam vel munera vel dederit pro liberatione cuiusquam obtinenda vel promovenda, seu dilatione sive retardatione processuum, iudiciorum, sententiarum seu executionis officii circa quemcumque apponenda vel opponenda in impedimentum vel retardationem eiusdem, vel ad hec seu eorum aliqua directe seu indirecte, occulte vel manifeste, vel per se vel per alium impenderit seu impendi procuraverint indebite consilium, auxilium vel favorem scienter, hac nostra monitione competenti premissa, auctoritate qua fungimus in his scriptis excommunicamus et excommunicatos a canone et alias pena lata a canone ex tunc ut ex nunc incidisse publice nunciamus et declaramus.

Lata fuit hec sententia anno, die et loco predictis, presentibus dominis episcopo Mirapiscensis, canonicis, curialibus, officialibus, religiosis, clericis et laicis antedictis, et nobis G. Petri Barte, B. Adalberti et Menneto de Roberticuria notariis supradictis qui hec recepimus.

Hec ego Mennetus de Roberticuria notarius supradictus predictam sententiam manu propria scripsi et in hanc publicam formam redegi, mandatus et requisitus per dominum inquisitorem.

Sententia de crucibus deponendis et dimittendis

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Tu **Iohannes Tinhach** de Ax et tu **Petrus Sabaterii** de Varillis diocesis Appamiensis cruces de filtro crocei coloris dudum vobis impositas una cum quibusdam peregrinationibus et aliis penitentiis vobis iniunctis pro hiis que confessi fueratis vos in crimine heresis commisisse multo tempore humiliter portastis, propter quod gratiam aliquam vobis fieri meruistis, idcirco nos Episcopus et Inquisitor predicti predictas cruces deponendi et totaliter dimittendi vobis *F° A v°* concedimus licentiam specialem, in aliis vero penitentiis vobis iniunctis nichil penitus immutantes.

Lata fuit hec sententia anno, die, loco et presentibus testibus et nobis notariis supradictis. Ego vero Menneus predictus eandem scripsi.

Sequuntur culpe seu extractiones inferius nominandorum

Mengardis uxor quondam Arnaldi **de Pomeriis**, sicut per suam confessionem receptam in iudicio legitime nobis constat quatuor anni sunt elapsi ad instantiam cuiusdam persone ivit ad Arnaldum Egidii alias dictum Botellier de Manso Sancti Antonini pluries et frequenter et petiit ab eo de quadam filia sua defuncta qualiter sibi erat, qui dixit ei quod in brevi debebat intrare requiem, dicens ipse Arnaldu eidem loquenti quod anima hominum et

mulierum non ingrediuntur paradysum usque ad diem iudicii resumptis corporibus, sed interim sunt in quodam loco terrestri ubi quiescunt.

Item quod anime puerorum qui decedunt infra duodecim annos vadunt ad dictum locum requiei.

Item quod anime defunctorum non patiuntur aliam penam nisi quod vadunt vigilando per ecclesias, excepto quod aliqui transeunt per purgatorium.

Item quod nulla anima ante iudicium damnabitur.

Item quod in iudicio ad preces beate Marie et omnium sanctorum Christus omnes homines salvabit.

Item quod anime defunctorum habent membra consimilia membris corporeis, licet puchiora sint membra animarum.

Item quando senes decedunt, ventus eos defert et circumducit sicut herbas vocatas "panicaut".

Item dixit dictus Arnaldus ipsi Mengardi quod conaretur vivere quantum posset in hoc mundo, quia non erat ita bona vita sicut vita presens, et multos alios errores et alias falsitates audivit ipsa Mengardis a dicto Arnaldo, quos errores supradictos non credebat nec discredebat, ut dixit. Tamen de ipsis loquuta fuit cum diversis mulieribus et induxit multas quod dictum Arnaldum visitarent; dedit etiam ei aliquando de suo, nec predicta revelavit nisi post monitionem generalem factam per dominum Episcopum, capto iam et confesso predicto Arnaldo.

Raymunda filia Guillelmi **Fabri de Sancto Baudilio** quondam, habitatrix Appamiarum, inducta per predictam Mengardim, ivit ad dictum Arnaldum et petiit ab eo de statu anime matris sue defuncte, qui Arnaldus respondit quod ibat fortiter per ecclesias, et quod ipsa Raymunda faceret celebrari unam missam pro ea per quendam capellanum quem nominat, quia, ut dixit, in crastino festi Omnium sanctorum sequentis debebat intrare requiem. Et cum ipsa loquens...

F° B r° ... dixit^a quod hoc anno dicta mulier^b venit ad ipsum et dixit ei quod dominus episcopus Appamiensis citaverat eam super facto heresis, et quod omnino volebat fugere propter timorem dicti domini episcopi. Cui mulieri licet licet^c dictus Bartholomeus persuasisset quod non fugeret sed compareret coram dicto domino episcopo, ut dixit, et ipsa nollet acquiescere, fecit sibi expensas et fecit portari raubam suam per quendam hominem quem conduxit, et ivit cum ipsa usque quendam locum quem nominat, et promisit ei, licet non proponeret ire, ut dixit ei, quod procuraret pecuniam et rediret ad eam et ipsam conduceret usque ad Limosum, ad quem locum fugere volebat, et interim ambo fuerunt capti.

Expliciunt culpe predictorum

Sequitur abiuratio facta per eosdem

In nomine Domini amen. Nos **Navarra**, uxor Poncii **Bruni**, **Guillelma** uxor Petri **Bateiani**, **Raymunda** filia Guillelmi **Fabri de Sancto Baudilio**, **Mengardis**, uxor quondam **Arnaldi de Pomeriis**, **Arnaldus de Montenespulo** presbiter, **Fabrissa** uxor Raymundi **Riba** de Montealionis, **Bengarius^d Scola** de Fuxo, **Arnaldus de Savinhano** de Tarascone, **Guillelmus Austantz** de Ormolacho, **Beatrix** uxor quondam Othonis de Varillis, **Bernardus**

^a (Bartholoemus Amilhaci)

^b (Beatrix de Ecclesia)

^c *Suppr.*: licet.-

^d *Corr.*: Berengarius.-

Francha de Golerio, **Graysida** uxor Petri **Licerii** quondam de Montealionis, **Raymunda** uxor de Pradas **d'Aysen** quondam de Montealionis, **Bruna** filia naturalis Pradas Tavernerii heretici, uxor Guillelmi **Porcelli**, **Raymundus Vaxieyra** de Ax, **Aladaycis Ademaria** de Montealionis, **Arnaldus Cuculli** de Lordato, **Petrus Maioris** de Ravato et **Bartholomeus Millaci** presbiter hic presentes, constituti in iudicio coram Vobis reverendo Patre in Christo domino Iacobo Dei gratia Episcopo Appamiensi et Fratre Iohanne de Belna ordinis Predicatorum inquisitore heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputato, abiuramus et abnegamus penitus omnem heresim et hereticam pravitatem extollentem se adversus fidem catholicam Domini nostri Ihesu Christi et sancte romane Ecclesie, et omnem credentiam hereticorum cuiuscumque secte dampnate quibuscumque nominibus censeantur, et omnes favorem, fautoriam, receptationem et participationem ipsorum, sub pena que de iure debetur relapsis in heresim in iudici abiuratam.

Item promittimus et iuramus quod pro posse nostro persequemur et revelabimus seu detegemus hereticos et credentes et fautores et receptatores ac deffensores eorum et pro heresi fugitivos, quandocumque et ubicumque sciverimus eos esse vel aliquem de predictis. Item promittimus et iuramus quod tenebimus et servabimus et defendemus fidem catholicam domini nostri Ihesu Christi, quam sancta romana Ecclesia predicat et *F^oB v^o* servat.

Item promittimus et iuramus quod parabimus et erimus obedientes mandatis Ecclesie et Vestris et successorum Vestrorum, et quod recipiemus et pro posse nostro complebimus et faciemus penitentiam quos nobis duxeritis iniungendam, et quod nunquam fugiemus, nec nos absentabimus contumaciter vel alias quoquomodo.

Et ibidem et incontinenti prefati domini Episcopus et Inquisitor omnes et singulos superius nominatos utriusque sexus absoloverunt et reconciliaverunt iuxta formam Ecclesie consuetam.

Facte fuerunt abiuratio et reconciliatio predicte anno, die et loco et presentibus testibus et nobis notariis suprascriptis. Ego vero Mennetus notarius supradictus premissa scripsi et in hanc publicam formam redigens signo meo solito consignavi, mandatus et requisitus per dictum dominum inquisitorem.

Sequitur sententia arbitraria sine crucibus

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Quoniam nos, Frater Iacobus permissione divina Appamiensis episcopus et Frater Iohannes de Belna ordinis Predicatorum inquisitor heretice pravitatis in regno Francie per Sedem apostolicam deputatus, per inquisitionem legitimam invenimus et per confessiones proprias factas in iudicio Nobis constat quod tu, **Navarra Bru** uxor Pontii Bruni et tu **Guillelma** uxor Petri **Bateiani**, et tu **Raymunda** filia Guillelmi **Fabri** de Sancto Baudilio, et tu **Mengardis** uxor quondam Arnaldi de **Pomeriis** et tu **Arnaldus de Montenespulo** presbiter, deliquistis credendo errores predicti Arnaldi Botellerii et non revelando prout debuistis quemadmodum vobis lectum est intelligibiliter et in vulgari, propter quod in fautoriam heresis aliquantulum incidistis;

Vobis, prout asseritis, redire volentibus ad ecclesiasticam unitatem, abiurata primitus per vos omni heresi publice in iudicio coram Nobis de parendo simpliciter mandatis Ecclesie et Nostris, obtento a Nobis absolutionis beneficio et ab excommunicatione qua ligati eratis pro culpis et erroribus predictis, ac die et loco vobis ad recipiendum penitentiam peremptorie assignatis, sedentes pro tribunali, sacrosanctis Evangeliiis Ihesu Christi positis coram Nobis, ut de vultu Dei prodeat iudicium et oculi nostri videant equitatem, de consilio plurium sapientium et peritorum in Iure canonico et civili et aliorum discretorum tam religiosorum quam secularium virorum super hoc habito diligenter, penitentiam iniungimus que sequuntur :

Vobis Navarre et Raymunde et Guillelme uxori Petri Bategani, quod visitetis ecclesias Beate Marie de Ruppeamatoris, de Valleviridi, de...
